

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Consideratio status damnatorum, quod actiones ipsorum inprimis malas, concernit**

**Fecht, Johann**

**Durlaci, 1680**

CXLIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122744](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122744)

intelligere, & DEUM & omniscientiam ejus res omnes prævidere, & ignem & calorem calefacere dicimus. Ex quibus patet, agere damnatos dici, quotiescunque potentia quædam in iis in actu secundo constituitur, veluti cum aptitudinem loquendi, homini naturaliter insitam, in locutionis actum deducunt, neque locutionem de damnatis tantum, sed de ore quoque damnatorum, tanquam instrumento loquendi, & de ipsâ loquendi potentia, quamquam de illis primò, de his autem secundo, rectè enunciari.

CXLIII. Ut verò constet, quam varia, quamque diversa agere damnati, & de quam infinitis actionum generibus formari quæstiones haud injuriâ possint, in conspectum primò generales nonnullas actionum distinctiones, deinde in specie humanarum actionum, ad potentiarum ei inexistentium, ex quibus actiones exoriuntur, numerum exactum, quendam quasi catalogum subjiciemus. Sunt autem actiones omnes vel immanentes, quæ in eodem subjecto, aliquando etiam in eadem potentia recipiuntur, è quâ exiere atque editæ fuere, veluti intellectio, volitio, motio, ambulatio; quarum nonnullæ in homine, nonnullæ etiam in eadem facultate hominis recipiuntur; vel transeuntes, quæ in eodem supposito non recipiuntur, è quo oriuntur, veluti cum homo hominem vulnerat, ubi objectum in quod vulneratio transit, mutatur & vulnus extra vulnerantem relinquitur. Præterea actio vel substantialis est, per quam substantia producit, ut generatio, creatio; vel accidentalis, per quam accidens producit, ut alteratio, accretio. Porro alia instantanea est, quæ fit in instanti, absque ullo temporis tractu, ut generatio, si accipiatur pro inductione formæ in materiam, sine præviis alterationibus; alia successiva, quæ requirit aliquam temporis moram, ut verberatio, blasphematium, cum pluribus verbis majestatis Divinæ honorem violo. Item alia actio est materialis, seu realis, qua reale quidpiam producit, ut transportatio corporis; vel intentionalis, cum agens sui tantum speciem in patiente producit, veluti cum quis speculo formam suam imprimit, aut in alterius intellectu ideas speciesque variarum rerum excitat. Denique alia actio est directa, cum agens agit & tamen agere se nescit, veluti cum calor cale-



facit & homo turbatâ ratione ea patrat, quorum ignarus est, priusquam ratione rursus utatur; vel reflexa, cum agens solitariè supra seipsum reflectitur, veluti cum anima rationis particeps seipsam intelligit & invidiâ flagrans invidum se esse novit.

CXLIV. Sunt equidem ex Scholasticis Philosophis non exigui nominis, utpote Joh. Duns Scotus, D. Thomas Aquinas, Thomas Cajetanus, Capreolus, Paulus Soncinas, Durandus, Henricus, Ægidius de Mensurâ, & Nominales, quos recenset & sequitur Petrus Fonseca, Lusitanus, Soc. Jesu, libr. VII. in Met. Arist. c. VII. Qu. III. sect. III. p. 300. qui intelligendi actus, & actus momentaneos, ceu creationem, illuminationem & similia, docent, non esse actiones propriè dictas, sed qualitates; quia, etsi intellectio, (ut de eâ, cum in damnatos cadat, speciatim dicamus) quâdiu exercetur, semper sit in fieri, habeatque subjectum inhætionis, in quo exerceatur, non tamen sit productio alicujus termini, qui per eam intrinsecus compleatur & paulatim perficiatur, sed ipsa sit ultima perfectio intellectus, tametsi aliquando sit principium productivum alicujus alterius qualitatis, ut alicujus habitus in intellectu, aut alicujus affectus, habitusve in voluntate. Andr. Mafius, in libr. Categ. c. V. q. II. pro qualitatis secundâ specie, quæ potentia naturalis dicitur, pugnat: *mibi semper*, inquit, *placuit eorum opinio, qui statuunt actiones immanentes revocandas esse ad secundam speciem qualitatis.* Sed verò cum immanentes actiones reverâ sint progressionem potentiarum in actus earundem secundos, quibus mediântibus agens formaliter agere dicitur, fieri nequit, quin sint actiones propriè dictæ; cum, cui definitio competit, eidem & definitum competere sit necessarium. Quam enim absurdum est, verbi gratiâ, intellectum, dum intelligit, intelligentem, hoc est, non amplius potentiâ, sed actu, agentem esse, idque, quod intelligit actu, quodque antea non intellexerat nisi virtute, in se producere, quod utrumq; utraq; manu concedit Fonseca, & tamen intelligendi potentiam, sine ullo motu, sine actione, sine intellectione, in actum deduci, aut, si cum motu aut intellectione id fiat, hunc motum & intellectionem actionem propriè dictam non esse, sed potius qualitatem & dispositionem? Quam *ἄτοπον*, igitur est, ædificare sine ædificatione, & scribere sine scriptione, & ut summarim